


LATINITAS

SERIES NOVA

VIII · MMXX
VOLVMEN ALTERVM



PONTIFICIA ACADEMIA LATINITATIS
IN CIVITATE VATICANA MMXX

PONTIFICIA ACADEMIA LATINITATIS PROVEHENTE

seriem nouam edendam curat

IVANVS DIONIGI

adiuuantibus PAVLO D'ALESSANDRO et MARIO DE NONNO

DOCTORVM COLLEGIVM

MARIVS DE NONNO - MIRELLA FERRARI

GVILELMVS KLINGSHIRN - MARIANNA PADE - SERGIVS PAGANO

THEODORICVS SACRÉ - MANLIVS SODI - MICHAEL WINTERBOTTOM

CORRECTORVM COLLEGIVM

Franciscus Berardi - Franciscus M. Cardarelli - Paulus d'Alessandro

Nicus De Mico - Valerius Sanzotta

Omnia in opuscula censorum duorum iudicium permittitur

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

HISTORICA ET PHILOLOGA

Leonardo Galli, <i>Tra tradizione diretta e indiretta: « tollere » o « tendere »? A proposito di LVCR. I 66</i>	9
Stefano Rozzi, <i>L'antropocentrismo in Frontino: per una reinterpretazione del mito dei Dioscuri (FRONTIN. strat. I 11, 8 sg.)</i>	19
Patrizio Domenicucci, <i>« Lucebis ab omni parte poli »: il catasterismo di Vespasiano nel proemio di Valerio Flacco</i>	35
Marcus Cristini, <i>De Cassiodori senatoris orationum reliquiis</i>	41
Michele Di Marco, <i>Crassissima philosophiae pars: note lessicali sul De civitate morum puerilium di Erasmo da Rotterdam</i>	49
Sergio Pagano, <i>Il latino nella Chiesa cattolica al discrimen fra Concilio e post Concilio: un discorso programmatico di Paolo VI a Latinitas (1968)</i>	71

HVMANIORA

Horatius Antonius Bologna, <i>Egeria. Laudes Romanae</i>	83
Nicus De Mico, <i>Via est in pelago</i>	95
Maurus Pisini, <i>Muta sensuum loquela</i>	99

ARS DOCENDI

Fatima El Matouni, <i>Qualche riflessione su due figure di pensiero: 'confessio' ed 'epitrope' nella grammatica di Carisio</i>	105
--	-----

APPENDIX

<i>Reginaldus Thomas Foster diem obiit</i>	137
<i>Argumenta</i>	139
<i>Index universus</i>	145

DE CASSIODORI SENATORIS ORATIONVM RELIQVIIS

MARCVS CRISTINI

Flavius Magnus Aurelius Cassiodorus Senator (ca. 485-580) cum auctoribus disertissimis serioris antiquae Latinitatis procul dubio adnumeratur. Praecipientibus regibus Gothorum, vario stilo litteras, libros historiarum, chronica et laudes scripsit, dein mente ad Deum conversa penetrabilia animae, sensus *Psalmorum* et disciplinas tam divinas quam saeculares indefatigabili industria inquisivit. Admodum iuvenis palatium ingressus, in re publica administranda Theoderico (r. 493-526) longe subsidio fuit et Eutharicum, qui Amalasuintham filiam regis uxorem duxerat quique a. 519 consul fuit, «in ipsa curia Libertatis ... devotus asseruit et facta eius orator nobilis excolebat virtutes ipsius plus mirabiles faciens quam honores»¹. Post Eutharici necopinatum obitum et Theoderici occasum corona Athalarico (518-534) et eius matri Amalasuinthae tradita est, dein Theodahado (r. 534-536), qui consobrinam mortuo Athalarico occidendam curavit, et Vitigi (r. 536-540), qui rerum potitus Mathesuentham filiam Amalasuinthae uxorem duxit. A. 537 vel 538 curas saeculares reliquit ac totum se dedit divinis mysteriis pervestigandis.

A conflagratione (quae dicitur) Serae Antiquitatis a Petro Brown abhinc lustris decem excitata et novo millennio ineunte magis magisque aucta ac propagata², Cassiodori scriptis docti viri haud raro studuerunt, sed fere cuncti orationes neglexerunt, quia codices, quibus inerant, aut deleti aut erasi rescriptique sunt³. Saeculo autem undevigesimo ineunte cardinalis Angelus Mai laudum fragmenta primus invenit et, nonnullis aliis frustulis repertis, Ludovicus Traube a. 1894 reliquias edidit demonstravitque e vetustissimo codice olim Bobiensi, probabiliter sexto saeculo exarato ac postea discerpto, eas

¹ CASSIOD. var. IX 25, 3.

² Ad libros praesertim duos specto: P. BROWN, *The World of Late Antiquity. From Marcus Aurelius to Muhammad*, London 1971; IDEM, *The Making of Late Antiquity*, Cambridge (Mass.) - London 1978. De 'conflagratione Serae Antiquitatis', cf. A. GIARDINA, *Esplosione del Tardoantico*, *Studi storici* 40, 1999, pp. 157-180.

³ Bibliographiam Cassiodorianam diligenter commemorare longum est. Sufficiat, tamen, libros duos maioris momenti ab oblivione vindicare, qui novo millennio ineunte typis traditi sunt: A. GIARDINA, *Cassiodoro politico*, Roma 2006; M. S. BJORNLIIE, *Politics and Tradition between Rome, Ravenna and Constantinople. A Study of Cassiodorus and the Variae, 527-554*, Cambridge 2013. *Textus Variarum*, una cum Italica interpretatione ditissimisque anotationibus, legitur in *Flavio Magno Aurelio Cassiodoro Senatore. Varie*, Direzione di A. GIARDINA, a cura di A. GIARDINA, G. A. CECCONI, I. TANTILLO, con la collaborazione di F. OPPEDISANO, 6 voll., Roma 2014-.

omnes pervenire⁴. Hodie nemo dubitandum arbitratur, quin Cassiodorus orationes panxerit, perpensis et similitudinibus stili et praefatione *Variarum*, qua ipse scripsit se «etiam ad commendationem universitatis frequenter reginis ac regibus laudes»⁵ dixisse. Incertum est autem quot laudes scripserit et quibus ex eis reliquiae tribuendae sint.

Traube fragmenta in partes duas dividit, quarum unam (pp. 465-472 T.) opinatur ad laudem Eutharici pertinere, aliam (pp. 473-484 T.) ad laudem Vitigis et Mathesuenthae. Dominicus contra Romano reliquias orationibus sex tribuendas esse putat, quas Cassiodorus coram Theoderico bis (pp. 465 sq. et 467 sq. T.), Eutharico (pp. 469-472 T.), Amalasuinha (pp. 483 sq. T.), Theodahado (pp. 477 sq. T.) et Vitige Mathesuenthae (pp. 473-476, 479-482 T.) recitavit⁶. Argumenta autem eius haud raro vacillant. Partitio enim inter orationem primam et alteram stili tantum subtilitatibus nititur, quae demonstrent Cassiodorum laudem priorem panxisse a. 508-509 cum adhuc iuvenis esset, posteriorem vero a. 514 cum elegantias Latinarum litterarum penitus calle-ret. In laude autem prima de Gallia (meridionali) in potestatem Gothorum

⁴ *Cassiodori Oratorum reliquiae*, edidit L. TRAUBE, in *Cassiodori Senatoris Variarum*, recensuit Th. Mommsen, Berolini 1894 (MGH, Auct. ant. XII), pp. 457-484. Fragmenta Taurinensia incendium a. 1904 delevit, cf. G. GORRINI, *L'incendio della R. Biblioteca Nazionale di Torino*, Torino - Genova 1905, pp. 42 et 273. Textus orationum legitur et in T. JANSON, *A Concordance to the Latin Panegyrics. A Concordance to the XII Panegyrici Latini and to the Panegyric Texts and Fragments of Symmachus, Ausonius, Merobaudes, Ennodius, Cassiodorus*, Hildesheim - New York 1979, pp. 897 sq., additis emendationibus quas excogitavit E. CHATELAIN, *Notes sur quelques palimpsestes de Turin*, Revue de philologie, de littérature et d'histoire anciennes 27, 1903, pp. 37-48: 45-48. Paginae quattuor transcripsit C. CIPOLLA, *Codici bobbiesi della Biblioteca Nazionale Universitaria di Torino*, I, Milano 1907, pp. 85-87. Reliquias orationis primae (opinionem Traubiana) excerpserit ac Francogallice vertit J. P. CALLU, *Principes de Cassiodore à l'Histoire Auguste*, in *Historiae Augustae Colloquium Bambergense*, curantibus G. Bonamente et H. Brandt, Bari 2007, pp. 109-122. Paginae editionis Traubianae littera T. addita scribo ad orationum reliquias indicandas, quae ex fragmentis Taurinensibus nunc deperditis (pp. 465-474, 477 sq. et 483 sq. T., olim ex cod. a. II. 2**), Nanceiensibus (pp. 475 sq. T., ex cod. Bibliothecae Municipalis seu Stanislas 356, olim 317) et Mediolanensibus Ambrosianis (pp. 479-482 T., ex cod. G 58 sup.) constant. De his, cf. M. GEYMONAT, *Antichi frammenti ambrosiani delle orazioni di Cassiodoro e delle epistole di san Paolo*, Scripta philologa 3, 1982, pp. 119-130.

⁵ CASSIOD. var. praef. 11. Cf. et CASSIOD. *anecd. Hold.* 16 sq.: Cassiodorus «laudes Theoderici regis Gothorum facundissime» recitavit.

⁶ D. ROMANO, *Cassiodoro panegirista*, Pan 6, 1978, pp. 5-35 (legitur et in IDEM, *Letteratura e storia nell'età tardoromana*, Palermo 1979, pp. 330-373), quem partim sequitur M. VITIELLO, *Il principe, il filosofo, il guerriero. Lineamenti di pensiero politico nell'Italia ostrogota*, Stuttgart 2006, pp. 71-78. Cf. et C. BAUDI DI VESME, *Frammenti di orazioni panegiriche di Magno Aurelio Cassiodoro Senatore*, Memorie della R. Accademia delle scienze di Torino, s. II 8, 1846, pp. 169-212, cuius tamen coniecturis parum inest, quod docti recentiores probent. Baudi enim fragmenta alia (pp. 465-474 T.) orationi habitae ad consulatum Cassiodori (a. 514) celebrandum ascribit, alia (pp. 479-482 T.) panegyrico de nuptiis Eutharici et Amalasuinthae et alia (pp. 478 et 483 T.) laudibus Athalarici et Amalasuinthae.

redacta mentionem facit, quod a. 509 vel potius 510 tantum accidit⁷. E frustulis tam exiguis, ut vix verba quadringenta amplectantur, stili dissimilitudines inter scripta eiusdem auctoris intervallo temporis admodum brevi exarata (de quinque agitur — si multum — annis!) conicere admodum dubium est. Profecto in fragmentis de consulatu est sermo, quia Cassiodorus «priscos consules» (p. 468, 13 T.) commemorat⁸, et laudes ita similes ac congruentes videntur, ut non possim quin cum Traube consentiam et reliquias ad unum idemque praeconium referam.

Callu opinatur f. 1 Taur. (pp. 467 sq. T.) partem laudis a. 514, Cassiodoro consule, recitatae fuisse⁹, coniectura autem admodum incerta est. Nam ff. 2 (pp. 465 sq. T) et 1 Taur. ad idem bifolium pertinebant¹⁰, f. 2 verisimiliter ad initium panegyrici, ut comparatio cum *var.* XI 1 ostendit, f. 1 ad finem, quia exempla virorum illustrium usitate in ima oratione memorabantur¹¹. Ff. 4 (pp. 469 sq. T.) et 5 Taur. (pp. 471 sq. T.), quorum utrumque pars erat laudis a. 519 ineunte dictae, ad idem bifolium pertinebant et aliud post aliud legebantur, ut ostendit Chatelain¹². Quod bifolium erat igitur medium quaternionis in quo panegyricus ad consulatum a. 519 celebrandum inerat. Num ff. 1-2 Taur. in alio quaternione erant et ad aliam laudem item de consulatu spectabant? Novacula Occami (quae dicitur) suadet ut et ff. 1-2 et 4-5 Taur., quae veniunt omnia e fasciculis diplomatum Bobiensium, ad unum eundemque quaternionem reducamus, in quo laus erat a. 519 coram senatu habita. Puto (secus ac Traube) f. 2 Taur. ad initium panegyrici pertinere, ff. 4-5 ad mediam partem et f. 1 ad finem.

Quod ad laudem Amalasuinthae attinet, reginae fragmentum ascribitur ob verba «fecisti quoque, domina, palatium» (p. 483, 6 T.), sed palatium Ravennas Theodericus aedificandum (vel funditus renovandum) curaverat¹³. Procul dubio Cassiodorus scripsit dominam fecisse palatium ad eam immodice laudandam, ut saepe accidit in panegyricis, itaque haec tam Amalasuinthae quam eius filia Mathesuentha esse potest. Pars haud parva laudum Vitigis Mathesuenthaeque superfuit, ergo fragmentum huic orationi tribuerim, Traube secutus.

Romano verba «Vindica <...> interitum» (p. 478, 13 T., quae autem «Vindica <sti reginae> interitum» probabiliter legenda sunt) ad laudem Theodaha-

⁷ H. U. WIEMER, *Theoderich der Grosse König der Goten - Herrscher der Römer. Eine Biographie*, München 2018, pp. 353-361.

⁸ W. PORTMANN, *Geschichte in der spätantiken Panegyrik*, Frankfurt am Main 1988, pp. 120 sq.

⁹ Op. cit., p. 116.

¹⁰ MGH, *Auct. ant.* XII, pp. 462 sq.

¹¹ Cf. e. g. ENNOD. *pan.* 78; CASSIOD. *var.* XI 1, 19 vel praecepta, quae in MEN. RHET. p. 92 Russell-Wilson leguntur.

¹² Op. cit., p. 46

¹³ M. J. JOHNSON, *Toward a History of Theoderic's Building Program*, *Dumbarton Oaks Papers* 42, 1988, pp. 73-96: 80-92. Cf. et *exc. Val.* 71 et *AGN. Rav.* 94.

di refert, quia rex post consobrinam interfectam negavit se scelus concepisse¹⁴, sed nemini latebat Amalasuintham iussu regis necatam esse, qua de causa laudator, qui occasum reginae ad mentem revocavisset vel ultionem postulavisset, in summo discrimine fuisset. Vitigis contra, Theodahado interfecto, Iustiniano haec scripsit: «si vindicta regis Theodahadi quaeritur, me reor diligere»¹⁵; ideo non dubitandum existimo, quin in fragmento de Vitige agatur, ut recte coniecit Traube.

Nunc ad laudem (quae putatur) Eutharici transire oportet, cuius fragmentum ad consulatum eius usitate refertur ob verba «sed tu, domine, prudentissimo principi maiestatis tuae praesta consilia» (p. 470, 10-12 T.). Dominus laudandus — sic saltem videtur — non est Theodericus, sed vir egregius qui ei consilia praestare solebat et neminem praeter heredem regis tam aperte in panegyrico ad sidera tollere oratori licebat¹⁶.

Cassiodorus autem scripsit se dixisse «reginis ac regibus laudes»¹⁷ et Eutharicus a. 519 rex non erat. Reliquias orationum omnes praeter hanc et Traube et Romano laudibus regis vel reginae ascripserunt. Quod ad alios panegyricos tempore Gothorum recitados attinet, Ennodius Theodericum laudavit, Cassiodorus Amalasuintham, siquidem *var. XI 1* panegyricus est in epistolam versus¹⁸, et Boethius «regem Theodericum in senatu pro consulatu filiorum luculenta oratione laudavit»¹⁹. Philosophus ipse panegyricum recitavit pro filiis et — simili modo — fortasse Cassiodorus quoque a. 519 pro Eutharico orationem ad regem laudandum habuit.

Ut coniectura diiudicari possit, necesse est inquirere, quomodo Cassiodorus regios auditores nominet in primo fragmento (sensu Traubiano, i. e. pp. 465-472 T.). Laudes spectant ad «infatigabilem triumphatorem» (p. 466, 14 T.), «bonum principem» (p. 468, 19 sq. T.), «clementissimum dominum», (pp. 469, 21-470, 1 T.), «principem», «dominum», «clementissimum regum» (p. 470, 8; 10; 18 T.) et «regum prudentissimum» (p. 471, 11 T.). Adiectivi 'clementissimus' 'prudentissimus'que et imperatori et regi tribuebantur, Theodericus autem 'clementissimus rex' vel 'dominus' dicebatur, Augustus vero orientalis 'clementissimus imperator' vel 'clementissimus principum'²⁰. Quod

¹⁴ PROCOP. CAES. *bell. Goth.* I 4, 31.

¹⁵ CASSIOD. *var.* X 32, 2.

¹⁶ Cf. recentissime WIEMER, op. cit., pp. 541 sq. De Eutharico, cf. M. CRISTINI, *Eutarico Cilica successore di Teoderico*, *Aevum* 92, 2018, pp. 297-307.

¹⁷ CASSIOD. *var. praef.* 11.

¹⁸ V. FAUVINET-RANSON, *Portrait d'une régente. Un panégyrique d'Amalasonthe (Cassiodorus, *Variae* 11, 1)*, Cassiodorus 4, 1998, pp. 267-308.

¹⁹ *Anecd. Hold.* 10 sq. Cf. et BOETH. *cons.* II 3, 8.

²⁰ 'Clementissimus rex': ENNOD. *opusc.* 1 in inscriptione, p. 261, 2 Hartel; *epist.* IX 30, 10; CASSIOD. *or. fvg.* p. 475, 9 sq. T. («clementissimus regum»); 'clementissimus dominus': ENNOD. *opusc.* 1, 29 p. 269, 11 H.; 2, 12 p. 291, 16 sq. H.; CASSIOD. *var.* IX 9, 3 («clementissimus auctor» in *var.* IX 9, 5); *or. fvg.* p. 469 sq. T.; 'clementissimus imperator': CASSIOD. *var.* I 1, 1; X 23, 4; X

ad 'prudenterissimum' attinet, Amalasuintha semel «prudenterissima domina» nuncupatur et Vandalus Transimundus «prudenterissimus regum», Theodora vero imperatrix «Augustarum prudenterissima»²¹.

Theodericus imperium semper eo imitatus est, ut simul et cives Romani ipsum putarent novum Augustum partis occiduae et imperator nihil haberet quod quereretur²². Qua de causa rex Gothorum 'clementerissimus dominus' vel 'regum prudenterissimus' nuncupari poterat, quia de summa potestate inter reges gentium Anastasii vel Iustini parum intererat, et titulo quoque 'bono principe' ei uti licebat, quoniam et imperator et rex Gothorum saepe 'princeps' vocabantur, sed adiectivum gradu superlativo quod proprium est imperialis maiestatis, ut exempli gratia 'clementerissimus' vel 'prudenterissimus', quodque 'princeps' sequitur imperatorem tantum decebat, cum iure esset optimus inter omnes rectores. Itaque Augustus tantum orientalis dicebatur 'piis-simus', 'sapienterissimus', 'serenissimus', 'clementerissimus' 'prudenterissimus' ve 'principum' vel 'princeps'²³.

De maiestate quoque breviter dicendum est, cum Cassiodorus dominum hortetur, ut «prudenterissimo» cuidam «principi» praestet consilia «maiestatis tuae» (p. 470, 11 sq. T.). In Cassiodori *Variis* verbum 'maiestas' ad regem, ad Deum vel (semel) ad populum Romanum pertinet²⁴. Cum rex non esset, Eutharicum a. 519 maiestas quaedam regia dedecebat, praesertim in panegyrico quem in honorem Theoderici quoque Cassiodorus recitavit.

Nam Traube non praeterit, quod in oratione Eutharico ac «simul ... Theoderico socero eius laudes dicuntur velut praesenti»²⁵. Romano de quadam laude mutui auxilii inter socerum et generum scripsit, Vitiello de duabus laudibus, alia Theoderico alia Eutharico dicata, vel de oratione ad utrumque laudandum²⁶ cogitavit et Arnold arbitratus est Cassiodorum coram Eutharico et Theoderico panegyricum a. 518 exeunte recitavisse²⁷. Nunc operae est pretium fragmenti partem (pp. 469, 21-470, 21 T.) legere:

32, 1; X 33, 2; XI 13, 1; 'clementerissimus principum': CASSIOD. *var.* VIII 1, 1; X 1, 1; X 10, 1 («clementerissimus et gloriosissimus princeps»).

²¹ CASSIOD. *var.* V 44, 1 («prudenterissimus regum»); X 21, 1 («Augustarum prudenterissima»); XI 1, 7 («prudenterissima domina»).

²² Cf. J. J. ARNOLD, *Theoderic and the Roman Imperial Restoration*, Cambridge 2014.

²³ CASSIOD. *var.* I 1, 2 et XI 13, 3 («piisissimus»); X 22, 1 («sapienterissimus»); X 33, 1; X 34, 1 et X 35, 1 («serenissimus»); de 'clementerissimo' et 'prudenterissimo', vide supra.

²⁴ CASSIOD. *var.* III 27, 2; VI 12, 4; IX 18, 2; X 4, 4 (ad regem); IV 22, 1; V 40, 6; VIII 22, 5; VIII 33, 7; IX 1, 4; IX 15, 8; IX 15, 11; X 17, 2; XI 1, 5 (ad Deum); XII 11, 3 (ad populum Romanum).

²⁵ MGH, *Auct. ant.* XII, p. 463.

²⁶ ROMANO, *op. cit.*, p. 22; M. VITIELLO, *Momenti di Roma ostrogota: adventus, feste, politica*, Stuttgart 2005, p. 81.

²⁷ J. J. ARNOLD, *Theoderic and Rome: Conquered but Unconquered*, *Antiquité tardive* 25, 2017, pp. 113-126: 121 sq. At Y. HEN, *History, Geography, and the Notion of Mare Nostrum in the Early Me-*

Hinc est, clementissime domine, quod te populi non patiuntur abscedere, sed omnes sibi cupiunt advenire. Ingrata vita est, quae tuos non meretur aspectus, et taedet propriis sedibus inhaerere, quos coactus fueris pro rerum necessitate deserere. Iure ergo omnium desideria in tuam praesentiam concitantur: amore principis murmur exoritur et ex eo subiectos tristes efficis, quia nimium diligi conprobaris. Sed tu, domine, prudentissimo principi maiestatis tuae praesta consilia: humana vota nesciunt praevidere quod eligant. Tu eum fac semper gerere, quod nosti generaliter omnibus expedire. [*pauca desunt*] Cum laudes tuas, clementissime regum, ingenio quidem destitutus sed magna fultus alacritate recitarem, in ordinem me dicta redigere censuisti.

Vitiello dilucide ostendit orationem *Panegyricum* Plinii imitari²⁸; quod nemo est qui miretur, cum *Excerpta Valesiana* referant Theodericum «a Romanis Traianum vel Valentinianum» appellari²⁹. Si his in sententiis Cassiodorus Eutharicum Traiani instar exprimeret, ‘principem’ vocaret mentionemque eius maiestatis faceret, laudes admodum essent inusitatae et auditores vix praeconium intellegent, cum paucissimis verbis elapsis, ut imago fragmenti a Carolo Baudi picta ostendit, orator de ‘rege’ ageret ‘clementissimo’, titulo quem Theoderico ascribere necesse est. Aliquis dixerit litteram grandiolem initio lineae positam alteram orationem significare³⁰, sed textus in eadem pagina legitur et, quod est maioris momenti, litterae grandiores initio lineae in fragmentis minime principium dant novis orationibus.

Impedimenta haec expedite superantur si vir laudandus Theodericus est et ‘prudentissimus’ ille ‘princeps’ imperator³¹. Theodericum, qui Traianus a Romanis nuncupabatur quique ‘regum prudentissimus’ vocari sinebat, sciens autem titulum ‘prudentissimum principem’ ad imperatorem tantum pertinere, magna cum laetitia cives — utrum Ravennates an Romani mox patebit — exceperunt et Cassiodorus regem oravit, ne desisteret imperatori suadere ut id semper gereret, quod generaliter omnibus expediret³².

Imitatione panegyrici Traiani perpensa, arbitror Cassiodorum quoque in

dieval West, in S. ESDERS et al. (cur.), *The Merovingian Kingdoms and the Mediterranean World. Revisiting the Sources*, London - New York 2019, pp. 11-18: 17, putat «infatigabilem triumphatorem» Eutharicum esse.

²⁸ VITIELLO, *Momenti* cit., p. 80, et ROMANO, op. cit., pp. 8 sq. Agitur de Plin. *paneg.* 22, 1-3.

²⁹ *Exc. Val.* 60.

³⁰ MGH, *Auct. ant.* XII, p. 470 in app. (secutus A. REIFFERSCHIED, *Bibliotheca patrum Latinorum Italica*, II, Wien 1871, p. 117), et VITIELLO, *Momenti* cit., p. 79. Opinione M. L. ANGRISANI SANFILIPPO, *Cassiod. Orat. rell. p. 470, ll. 16-21 Traube*, Quaderni catanesi 4, 1982, pp. 457-466, hic incipit gratiarum quaedam actio, coniectura autem minime probanda mihi videtur.

³¹ Quod recte coniecit A. GAUDENZI, *L'opera di Cassiodoro a Ravenna*, Atti e memorie della R. Deputazione di storia patria per le province di Romagna, s. III 3, 1885, pp. 235-334: 250-251. At ille arbitrabatur principem esse Anastasium et laudem Cassiodorum a. 500 dixisse.

³² Cf. CASSIOD. *var.* XI 13, 4: senatus — ergo Cassiodorus iussu Theodahadi — Iustinianum imperatorem his verbis hortatus est, ut pacem cum Gothis conficeret: «iunge quin immo vota, participare consilia».

curia eas laudes recitavisse, ex quibus fragmentum originem traxit, ideo ad orationem unam, ut Traube haud perperam coniectaverat, reliquiae pp. 465-472 T. probabiliter pertinent, cum in priore quoque frustulo mentio fiat de senatoribus³³. Verba de prudentissimo principe suadendo optime congruunt cum condicione regni a. 518-519. Cum enim Iustinus imperator factus esset, statim pontifici Hormisdæ scripsit ad schisma Acacianum sanandum. Eutharicus creatus est consul d. 1 m. Ian. a. 519 et paulo post — mense Martio — concordia ecclesiarum redivit. Colloquia inter Hormisdam et Iustinum successerunt adiuvente ac suadente rege Gothorum, cuius ‘consilia’ in panegyrico fidelis minister non tacuit³⁴.

Virtutes Eutharici, quas Cassiodorus — teste *var.* IX 25, 3 initio commemorata — coram senatu ad sidera sustulit, aut in ipsa oratione (nunc lacera discerptaque) inerant aut in epistula deperdita qua rex Theodericus de consulatu Eutharici senatores certiores fecit³⁵, quoniam et usus scribendi Cassiodori et sensus communis et exempla aliorum panegyricorum sexto saeculo exaratorum demonstrant doctos viros illius temporis regibus tantum ac reginis sollemniter in curia panegyricos recitare. A. 519 ineunte, ut opinor, Cassiodorus, qui iussu Eutharici innumerabiles annorum series ab origine mundi usque ad consulatum eius in *Chronica* coartaverat, praecipiente iterum Theoderici herede dixit laudes regis Gothorum, quarum fragmenta nonnulla favente codicum numine post saecula tredecim tenebrarum ab oblivione vindicata nobis hodie volvere licet.

³³ Et S. ROTA, *La panegiristica latina in prosa di età romanobarbarica. Ricerche degli ultimi venti anni e prospettive (1983-2003)*, *Romanobarbarica* 18, 2005, pp. 291-314: 309-314, putat reliquias has e panegyrico uno pervenire, quem tamen a. 511 Cassiodorus recitaverit, quaestione de prudentissimo principe omnino neglecta.

³⁴ De schismate Acaciano legantur J. M. KÖTTER, *Zwischen Kaisern und Aposteln: Das akacianische Schisma (484-519) als kirchlicher Ordnungskonflikt der Spätantike*, Stuttgart 2013, et M. CRISTINI, *In ecclesiae redintegranda unitate: re Teoderico e la fine dello Scisma acaciano*, *Rivista di storia della Chiesa in Italia* 73, 2019, pp. 367-386.

³⁵ Cf. similiter *CASSIOD.* *var.* II 3 et IX 23.

Typis impressum Neapoli
mense Decembri
MMXX

ISSN 2310-161X

Iura omnia vindicantur · *All rights reserved*

© Pontificia Academia Latinitatis

Palazzo San Calisto, piazza San Calisto, 16

SCV - 00120 - CIVITAS VATICANA (segreteria@latinitas.va)

Hoc volumen ordinaverunt atque impresserunt typographeï qui nominantur

Grafica Elettronica Srl, via Bernardo Cavallino, 35/G - 80128 Napoli